C EX PLINIO.

Eruca diuersæ est quàm Lactuca naturæ: concitatrix ueneris: idcirco iungitur illi ferè in cibis, ut nimio frigori par feruor immixtus temperamentū æquet. Eius semen scorpionum uenenis & muris aranei medetur. Bestiolas omnes innascentes corpori arcet. Vitia cutis in facie cum melle illitum. Lentigines ex aceto. Cicatrices nigras traducit ad candorem cum felle bubulo. Aiunt uerbera subituris potum ex uino, duritiam quandam contra sensum induere. In condiendis obsoniȝs tanta est suauitas, ut Græci euzomon appellauerint. Putant subtrita Eruca si foueant oculi, claritatē restitui. Tussim infantium sedari. Radix eius in aqua decocta, fracta ossa extrahit. Tria folia syluestris Erucę sinistra manu decerpta, & trita in aqua mulsa, si bibantur, uenerem stimulant.

DE EVPATORIO ADVLTERINO. CAP. C.

NOMINA.

Officinarum error.

NVM herba hæc ueteribus Græcis & Latinis cognita fuerit, & quo nomine ab ijsdem appellata sit, mihi nondum constare ingenuè fateor. Officinæ tamen ferè omnes pro Eupatorio uero, cum tamen non sit, haud sine magno errore utuntur. Hinc cum nomen aliud non esset quo illam appellaremus, Eupatorium adulterinū nominare placuit. Germanicè Kunigund kraut/hoc est, herba S. Kunigundi uocatur, & Wasserdost/ab Origani similitudine, & quod iuxta aquas proueniat. Alijs Hirtzenklee/quod uulnerati cerui sibi hac medeantur herba.

Eupatoriū adulterinum.

FORMA.

Caulem ędit rotundum, purpureū, geniculatū, solidum & hirsutum, circa quem D alæ panduntur, folia longa, Canabinis ferè similia, amaraq; . Flores in summo paruos coacerūatos, in candido purpurascentes, tandē in pappos tenues abeuntes. Radicem multis fibris capillatā & inutilem. Errant hauddubiè qui herbam hanc Dioscoridis Hydropiper esse putant. Nam etsi ferè tota eius herbæ facies, floribus demptis, Hydropiperis deliniationi respondeat, tamen quia nulla prorsus piperis in foliȝs aut floribus acrimonia apparet, non est cur Hydropiper dici possit aut mereat.

Eupatoriū adulterinum non est Hydropiper.

LOCVS.

In fluminum ripis, alijsq; locis humidis nascitur: potissimum uerò iuxta residēs aquas, aut tardo fluxu prorepentes.

TEMPVS.

Iulio & Augusto mensibus floret.

TEMPERAMENTVM.

Gūstu uehementer amara est, ut calidam & siccam esse in secundo ordine, aut in medio tertij non sit dubium.

VIRES.

Hauddubiè herba hæc abstergit, expurgatq;, & quæ in uenis est crassitiem incidit: quamobrem menses & urinas mouet, educendoq; ex thorace pulmoneq; puri auxiliatur, aliasq; facultates amari saporis, quas recensēt Galenus lib. iiij. de Simp. med. facul. cap. xvij. obtinet. Potest itaq; obstructiones iecoris & lienis aliarumq; partium corporis soluere. Ex recentioribus sunt qui hanc Vulnerariā esse tradunt, neq; temerè: idipsum enim posse, siccitas eius testatur. Suffitum præterea eius herbę, uenenatas fugare feras ijdem scribunt. Euidentissimū uerò est hanc etiam contra uenena esse admodum efficacem.

DE ERE-



EVPATORIVM ADVLTERINVM.